



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola XXXII. Ioannis Papae VIII. Ad Carolvm Calvvm Imperatorem. Mittit imperatori palmam, & malis, quibus a Saracenis prausique Christianis vrgebatur, expositis, auxilia petit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

Quapropter, carissima filia, per Deum vos adiuramus, opportune importune insistite, ut antequam in ipsa vrbe Romulea aliud periculum, quod Deus auertat, proueniat, manum suæ defensionis exhibeat, & hanc terram, quæ sui imperii caput est, ad libertatem reducat, ne quando dicant gentes, vbi est imperator illius? quatenus & nobis spes euadendi, viuendique remaneat, & priusquam hiems vel ver transeat, contra eosdem paganos Romæ sint illius exercitus præparata subsidia. Alioquin aut omnino peribunt, aut coacti, vt solam vitam redimere valeamus, eis qui nobis dominantur, quomodo cumque subiciemur. Data iv. Idus Februarias, indictione x.

EPISTOLA XXXII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CAROLVM CALVVM IMPERATOREM.

Mittit imperatori palmam, & malis, quibus a Saracenis prauisque Christianis vrgebatur, expositis, auxilia petit.

Ioannes episcopus Carolo imperatori.

t. Cor. 9. **I**NTER cetera, quæ vera crescente religione ab olim ecclesiastica facta vestræ pietati duximus intimanda, virentium vobis palmarum ecce brauum mittimus, quod Apostolus non omnes qui currunt, sed vnum propter unitatem legitime certantium accipere protestatur. Quapropter, fili carissime, quasi præsentes, incuruatis genibus & summissio capite deprecamur & obsecramus, vt ita legitimate celsitudo vestra in huius sæculi stadio pro Christi ecclesia currere, ita decertare contendat, vt non solum brauio viætrix vestra dextera adorneatur, verum etiam sacratissimum caput diademate gloriæ decoretur: imo pro visibilibus his & corruptilibus, non tantum palmam, sed & coronam accipiat incorruptam. Sed heu, clementissime imperator, ecce dum ad alia intenditis, mater vestra, sancta videlicet hæc ecclesia, quæ vos spiritualiter genuit, periclitatur, & in nouissimum deuenit exitium: hinc inde non solum tabernaculis hanc Idumæorum & Ismaelitarum, & Agarenis quotidiano gladio & captiuitate in interitum impellentibus, verum etiam falsis filiis Sarræ,

quos optime nostis, in prædam & direptionem miserabiliter immittentibus: ita vt & illi saepe usque ad muros Vrbis quamuis clandestinis horis peruererint, sed & Tiberium fluuium, qui olim Albula dicebatur, iuxta Sabinorum confinia pertransierint: & isti, qui nobis vicini sunt, ex altera parte ita seuant & debaccentur, vt non hominem, non agrum, non iumentum, non pecus, non quidquam ex his quæ sancti Petri iuris existunt, dimittere patientur, sed omnia quæ oculo vident, manu diripient; & mala quæ cogitant, sine mora perficiant. Hæc sunt, carissime, de innumerabilibus pauca, quæ mater vestra Romana, proh dolor, diebus vestris perfert ecclesia; quasi non vos specialiter ex omnibus & præ omnibus amauerit, inuitauerit, & extulerit: vel quasi nos non vos, auctore Deo, in imperium coronauerimus, & vobiscum in omnibus, quasi cum sapientissimo Salomone, vt quondam ille fide-^{3. Reg. 1.}
lis Sadoch sacerdos, aduersus alterum ad omnia minime steterimus, nec cuncta, quæ pro vobis debuerimus facere, fecerimus: ad extremum quasi non hodieque manui vestræ speciali voto & prærogatiua plenam benedictione palmam, sicut & cernitis, destinemus aduersus visibiles hostes & inuisibiles triumphantem. Optantes enim vos de cunctis aduersariis triumphare, nihil aptius vobis, quam ramos palmarum, duximus offerendum, quos & pueri sternebant in via Domino Hierosolymam venienti, anti-^{Math. 21.}
quum hostem triumphaturo, & mundum victuro. Sed dicuntur multæ vos impedire sollicitudines. Hoc plane nec nos ignoramus. Verum vt cum Domino fateamur, &^{Luc. 11.}
hæc oportuit facere, & illa non omittere. Nam vobis, qui in agone contenditis, vt ad brauium supernæ vocationis, & ad capessendam coronam incorruptam perueniatis, ab omnibus aliis abstinentiam est, & legitime, vt prædiximus, decertandum. Quid autem magis legitimum,
• quam vt præ omnibus & ante omnia Romanæ curam habeatis ecclesiæ, quæ ceterarum magistra est & mater eccliarum, quæ vestro in tempore tantis ac tam immanibus succubbit sine cessatione periculis? Denique si hæc ecclesia, quæ caput est, viget, cetera membra, quamuis languida, recuperandi fiduciam non amittunt: quæ nimirum omni robore carent, si contingat solum caput forte lan-

F iii

guere: quanto potius, quod auerterat omnipotens, si contingat extingui? Vnde iterum iterumque totis singultibus totisque imploramus præcordiis, & per Christum Dei filium suppliciter adiuramus, qui vos ad tantum prouexit fastigium & imperium, vel nunc citatum extendite clementia brachium, & periclitanti patriæ, quin potius mundo, auxilii iam iamque porrigit dexteram. Ecce Petrus in commissis ouibus mergitur. Erigite ergo eas vos a fluctibus, clementissime. Sic vos ipse ab excessuum allusionibus erigat, & vobis cœlestis atria regni intercessio-
1. Cor. 2.
 num suarum clauibus referet, & vitæ aeternæ pascua hue-
 nienda inter angelos sine termino tribuat, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, &c. Data Idibus Februarii, indictione decima.

EPISTOLA XXXIII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD AIONEM EPISCOPVM BENEVENTANVM.

Commendat eum de zelo erga sedem apostolicam. monet
 vt sibi adiumento sit in expellendis Sarracenis, suum-
 que fratrem ad idem faciendum impellat.

Reuerentissimo & sanctissimo Aioni episcopo Beneventano.

SVSCPTIS atque relectis literis sanctitatis tuæ, gratias
 omnipotenti Deo retulimus, & pro tuæ deuotionis af-
 fectu, proque sollicitudine, quam inquirendo de nostris
 euentibus habuisti, multum in Domino gratulati sumus.
 Decet enim, & omnino coram oculis diuinæ maiestatis ex-
 tatt conueniens, vt hi quos fideliores erga sanctam ma-
 trem cunctorum scilicet Romanam ecclesiam esse conspi-
 cimus, nostris affectibus, & si non per corpus, per spiri-
 tum amplectantur, & fraterna dilectione iuxta merita
 singulorum tractentur. De hoc autem quod afferis, te de
 nostra sanitate latari, sicut e contrario de oppressione Sar-
 racenorum tristari; optime quidem (vt ita dixerim) quant-
 um foris est, tangis: sed quantum intus est, iuxta tribu-
 lationem quam patimur, non aduertis. Præcipue cum
 pro populi nobis commissi vastatione solum nobis su-
 persit sepulcrum, & pro his qui nobiscum certare debuer-
 ant, & non solum inimicis Christi faueant, sed etiam no-